

SYLLOGE  
MONUMENTORUM,  
AD  
ILLUSTRANDAM  
HISTORIAM FENNICAM  
PERTINENTIUM.

CUJUS PARTEM I.

CONS. FAC. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENSI,  
PRÆSIDE

Mag. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Eqv. Ord. R. de Stella Polari,  
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ. Sc.  
Upsal. &c. Socio,*

Publicæ honorum censuræ submittit

HENRICUS HARTWICH,

*Sveo-Gothus.*

*In Audit. Majori die 17 Febr. MDCCCII,*

H. A. M. C.

---

ABOÆ, typis Frenckellianis.

IN S. R. M:TEM

SPECTATISSIMÆ FIDEI VIRO,

DIRECTORI SUPREMO REI GEODETICÆ,

EIQUE PER FINLANDIAM PRÆFECTO,

AMPLISSIMO DOMINO

PETRO ALFWING,

*Has pagellas sacratas voluit,*

AMPLISSIMI NOMINIS SUI

cultor devotissimus

HENR. HARTWICH.

# THESES RESPONDENTIS.

## *Thes. I.*

Difficile sæpe est, de Viro celebri, qui ætatis, in qua vixit, odium tulit & persecutionem, æquitate adhibita judicare; in seculo enim remotiori omnia æque cerneere & cognoscere non possumus, ac potuit præsens ætas.

## *Thes. II.*

Jure meritoque dicere possumus, Historiam sine Philosophiæ subsidio, nonnisi materiam, artem opificis desiderantem, permanere.

## *Thes. III.*

Dum scimus, per plurimos veterum Philosophorum libros, temporum incuria periisse, dubium haberi non debet, quin tenebrarum, quæ adhuc quibusdam veterum Philosophorum scitis offusæ sunt, causa in defectu cognitionis nostræ de vera eorum mente, sit querenda.

## *Thes. IV.*

Dixerunt veteres, veritatem in alto latere puteo, studiose indagandam; sed multi Philosophi, etiam hodie, id agere videntur, ut illam ipsi in puteum demergant, quo majore labore in illa indaganda sit opus.

## *Thes. V.*

Cum ignorantiam sollicite evitandam esse docemus, eam, quæ vitari a nobis potest, intelligimus. Quandoquidem, cum ob angustos intellectus nostri limites omnia scire fas non sit, neque nos ulla obligatione tenemur omnia cognoscendi, adeoque omnem absolute ignorantiam vitandi.

## *Thes. VI.*

Ad adminicula hominum scrutandi animos, *Physiognomiam* quoque referunt, quæ est ars, ab externa corporis forma, motibus, facie atque vultu, ad propensiones animi concludendi. Quæ ars nihil quidem absurdi involvit, ac a quovis fere homine quadantenus solet exerceri; sed non modo difficilis admodum est, verum sæpe quoque valde fallax.

## *Thes. VII.*

*Thef. VII.*

Divertiorum frequentiam ad signa morum corruptorum perfiners tetra, nemo ignorat. Quam rem vel Romanorum exemplum demonstrat, non lætissimam quibusdam hodiernis gentibus sortem portendens.

*Thef. VIII.*

Nou uno nomine stultum eorum haberi debet consilium, qui Religionem ut loquantur, positiva eliminata, solam populo commendari volunt. Religionem naturalem atque philosophicam. Quam veritatem vel nupera experimenta, æque infelicia ac inconsulta, satis confirmant.

*Thef. IX.*

Vereque non minus quam ingeniose Vir clarus pronuntiavit: Nunguam Rationis imperium fuisse infumius, quam cum ei nuper in Gallia templa aræque sacrentur.

*Thef. X.*

Præter notum paradoxis suis opinionibus atque assertis D: num *de Paw*, iniquiorem Ciceronis hostem non facile reperias, quam absurdum quendam Germanum, qui magno viro frigus animi prorsus belluinum, eo usus (egregio scilicet) argumento, nuper exprobravit, quod mortem Patris sui in perbreui ad Atticum Epistola familiari non nisi paucis verbis huic significavit.

---



## PRÆFATIO.

Quamvis Monumentorum ad Historiam illustrandam Fennicam pertinentium, non contemnendam, ut speramus, copiam Annotationibus ad editum a nobis PAULI JUUSTEN Chronicon Episcoporum Finlandensium inseruerimus: ad Apparatum tamen hunc Historiæ Patriæ, quantum in nostra esset potestate explendum, atque sic non modo materiam, in qua elaboranda atque conformanda industriam collocarent, futuris rerum Fennicarum scriptoribus locupletiolem offerendam, sed et usum ejus commodiorem reddendum, visum fuit, appendicem, sive Syllogen Monumentorum, a primo mox hujus operis suscepti initio animo propositam, atque inde aliquoties promissam, addere; in quam, ordine quodam servato, illas conjiceremus hujus generis reliquias, plerarumque cæterarum fata elucidas, quæ aut alibi jam typis evulgatæ, sive nimis essent dispersæ nec a quovis facile conquirendæ, sive minus diligenter editæ negotium lectoribus facefferent, aut postquam ultimam superiori operi imposueramus manum, colligere demum nobis contingeret. Tanto autem libentius consilio, Apparatum hujusmodi historicum instruendi, animum adjecimus, quo magis omnibus fere talibus subsidiis literæ Fennicæ hac-

---

tenus caruerunt; quæ præterea neque simplicium Annalium serie, multo minus scriptorum egregiorum diligentia ac arte, illustratæ habentur. Unde quasi prorsus de novo Historiæ nostræ condendæ opus aggrediendum est, materia primum idonea atque firma colligenda, deinde eadem disponenda, tam coaptanda, atque demum ornanda. Quomodo ædificium & solidum & speciosum, quod popularium respondeat votis, exsurgere tandem poterit. — Monumenta autem ipsa, accurate, quantum liceret, exscripta atque edita dabimus, brevibusque notulis illustrabimus: loco simul unde hausimus, aut ubi præterea legi possint, diligenter indicato. Agmen ducet Fragmentum Chronici Episcoporum Finlandensium, inter schedas Palmisköldianas repertum, sæpe a nobis laudatum. Cætera secundum ordinem temporum disposita sequentur.

---



I.

*Fragmentum Chronici antiqui Episcoporum  
Finlandensium (a).*

Pontifices isti Finlandenses meruere Ecclesiam regere sufful-  
ti dogmate Christi, |

*Hendricus.*

**A**nglicus, anno D:ni millesimo centesimo quadra-  
A 2 gesi-

---

(a) Inter Schedas Palmsköldianas (quarum collectionem Bi-  
bliotheca servat R. Academiæ Upsaliensis) reperiendum;  
unde *Fragmenti Palmsköldiani* nomine in opere ipso su-  
pra aliquoties illud laudavimus. Brevem exhibet seriem  
Episcoporum Finlandensium, quæ in vita *Conradi Bitz*  
abruptitur. *Juusteni* Chronico esse ætate superius, at-  
que ab hoc ad suum concinnandum opus diligenter adhi-  
bitum, facile patet; inter ea sine dubio numerandum  
*Prædecessorum* suorum (majorum, superioris ætatis homi-  
num) monumenta, quibus se usum fuisse ipse significat:

gesimo octavo Upsaliensis (b) quartus Episcopus præficitur (c). Anno MCL cum Sancto Erico Finlandiam venit in æstate, & statim yeme (d) frequenti Eillilo (e) martyrizatur; miraculis coruscando, Nousis sepelitur; ad Abo transfertur.

*Rodulff.*

Westgothus, a Curonibus captivatur, & ibi ab iisdem occiditur, anno Domini - - - (f).

*Folqui-*

cf. *Chronici* sui p. 9, 10, 32. Habetur autem in Actorum Palmsköldianorum Volumine quod inscribitur *Åbo och Åland* 4:o, fol. 190; veteri est manu exaratum, quæ seculi XV scripturam prodere videtur. Difficile sæpe lectu est, nec maximam vel diligentiam vel doctrinam descriptoris testatur; sed conservatu tamen atque cognitu est sane dignum. Non nisi breves textui notulas subjiciemus: quod pleraque supra jam explicare conatissimus, Apographum ejus, ipsius ut videtur manu Palmsköldii (nec illud diligentissime) confectum, reperitur in alio ejusdem Collectionis volumine, inscripto: *Åbo och Åland*, 4:o Fol. 180, p. 369, cum hac Epigraphe: *Åbo Biskopar*.

(b) Vel *Upsaliæ*. In Ms. habetur *Ups. Palmsköldius* male legit *tempore*.

(c) *Palmsköldius* minus recte legit *Præfecit*.

(d) *Hyeme*.

(e) Corrupte; pro *Kiulo*?

(f) Anni notæ desunt, ut in sequentibus aliquoties,



*Folquinus.*

**Svecus.** Hujus acta nulla reperiuntur, propter primam (g) depopulationem (h) per Ruthenos factam (i). Obiit anno Domini - - -

*Thomas.*

Anglicus, de ordine Fratrum Prædicatorum (k). Wisby resedit tamen propter Anglicos (l). Illic (m) se transtulit propter (n) Curonum (o) & Ruthenorum furorem; ibi obiit anno Domini MCCXLVIII, & in summo choro apud eosdem (p) sepelitur.

(g) Ita legit Palmköldius. Legi autem fortasse posset, ductibus literarum non prohibentibus, vel *proximam* vel *plurimam*?

(b) Hæc lectio Palmköldio debetur. Ductus Mf:ti offerunt fere *depellaciam*.

(i) Ultima hæc vox satis difficilis est lectu.

(k) Palmköldius male legit *de ordine priorum*.

(l) Locus explicatù difficilis. Cf. Juultien p. 187 sq. An *tandem* legendum pro *tamen*? & *eosdem* pro *Anglicos*?

(m) Palmköldius legit *illinc*, male.

(n) Ita Palmköldius ductus literarum Mf:ti lectu difficiles interpretatur.

(o) Hoc vocabulum in apographo Palmköldii plane deest.

(p) Quos? *Anglicos* putës illos, quicumque fuerint, de quibus paullo ante commemoraverat?

*Bero.*

Westgotus est. Alienavit tributum Finnonum ad  
manns Regis, cujus erat consanguineus & Cancellarius.  
Obiit anno Domini - - - & in Rånthåmâki sepelitur.

*Ragvald.*

Östgotus. Hic primo Maskot instituit. Obiit anno  
D:ni MCCLXVI:o & in Rånthåmâki sepelitur.

*Katillus.*

Westgotus. Hic primo iustituit Collegium Canonicorum  
in Rånthåmâki, anno D:ni MCCLXVI:o (q).  
In Rånthåmâki sepelitur. Ibi plerique Episcopi sunt  
sepulti (r).

*Joha.*


---

(q) Adeoque non longe post statutum *Wilhelmi* Sabinensis,  
in Concilio Skeningensi (1248) de Collegiis Canonicorum  
per totum regnum instituendis promulgatum. Cfr.  
LAGERBRING *Svea Rikes Hist. II Del. 12 Cap. §. 34.*  
& A CELSE *Apparat. ad Hist. Sveo-Goth. Sect. I. §.*  
*XXXVII, p. 74, N:o 12.*

(r) Aut in his verbis mendum latet, (ita ut *plerique* male legatur,  
vel aliquod vocabulum deficiat), aut scripta sunt jam ante mortem  
Episcopi *Benedicti*, sensim deinde adacta?

*Joha.* (Johannes).

Prior Sicktunensis ad Abo postulatur. Postea in Archiepiscopum Upsaliensem sublevatur.

*Mag.* (Magnus).

Primus Finno, ex Mertiala in Rusko natus. Hic ecclesiam Cathedralem de Rånthåmåki ad Abo transtulit, anno MCCC:o, & ibi primus sepelitur, qui obiit anno - - -

*Ragvald.*

Alandensis. Hic Kuusto erigi fecit anno MCCCVII. Hujus tempore Birgerus Rex tres (s) fratres suos Duces interemit. Ecclesia Aboënsis a Ruthenis spoliatur, fer. 2 Pentecostes anno - - -

*Benedictus.*

Svecus. Ordinarium Prædicatorum (t) instituit. Huic ortus Sanctæ Birgittæ nocte nativitatis suæ  
reve-

(s) Mendum sine dubio in hac voce latet; aut auctor erravit.

(t) Palmköldius male legit *Priorem*. In Ms:to est *p:torem*. Ante eum igitur Monasterium eorum Aboënsis nondum plene fuisse videtur perfectum, & in debitum ordinem redactum? Cf, supra p, 237 lq.

revelatur. Obiit anno MCCCXLVIII:o (u). In summo choro ad latus beati Hemmingi sepelitur.

*Hemingh.*

Svevus, Diocef. Upsalensis & de Parochia Bålingh. Divinitus eligitur, in Stockholm consecratur, Præpolituram Abo fundavit, scrinium S:ti Henrici procuravit, Revelationes S:tæ Birgittæ ad Papam detulit, & coram eo sermonem fecit pro (v) laude ejus, cui familiarissimus fuit. Obiit anno MCCCLXVII:o, in summo choro sepelitur.

*Henricus.*

Cardinalis (x) Aboensis, redeundo (y) de Romana curia moritur. In summo choro ad finistrum latus juxta S:tum (z) Hemmingum sepelitur, anno MCCCLXVIII.

*Joha.*

✓ (u) Cfr. supra disputata p. 250 sq.

(v) Palmköldius male legit *de*.

(x) Cfr. disputata supra p. 343, Not. 280.

(y) Hoc est: *Mox post reditum?* JUUSTENUS tamen (supra p. 16) interpretans addit "*in via de curia Romana (Avenionensi) redeundo*". Si longius quidem absuit a patria, cum moreretur, ægre credas corpus ejus huc translatum fuisse sepeliendum.

(z) Hoc vocabulum scriptorem prodit exeuntis sequentis seculi, quo de canonizatione hujus Episcopi consilia agitata fuisse icimus.

*Joha.* (Johannes).

Svecus, Parisius (a) diu rexit, sepulchrum S:t*i* Henrici Nosis decoravit. Obiit anno D:ni MCCCLXX. Ad dexteram Sancti Hemmingi sepelitur.

*Jo.* (Johannes).

Westfalus, Aboensis. Præbendam S:tæ Katherinæ fundavit. Hujus tempore Raseburgh per Boo Joanson construitur. Ejus tempore S:ta Birgitta obiit, anno D:ni MCCCLXXXIII; [&] (b) in choro Sanctæ Katherinæ sepelitur.

*Bero.*

Balk, Sema (c) ortus (d), MCCCLXXXV:o Romæ consecratur. Archidiaconatum instituit. Hujus tempore Missa Auroræ per Reginam Margaretam cum Parochia Piike fundatur. Sub pulpito in summo choro sepelitur.

B

*Magnus.*

(a) Parisius.

(b) Vitiose redundare hoc vocabulum, atque e textu eliminandum esse, facile patet.

(c) Lege *Vema* (*Vehmo*, ubi prædium *Balkis* hodieque habetur, familiæ *Balk* olim proprium) teste Chronico Juusteniano.

(d) Excidit vox *anno*.

*Magnus.*

Wirmâ natus, ex Patre Olavo Tavaft, Magifter Pragenfis (e), Erici Regis Cancellarius, XL annis Epifcopus vixit & (f) Ecelefia bene præfuit. Præbendam Corporis Chrifti & Monafterium Nådendaal fundavit. Abo in choro Corporis Chrifti fepe litur anno MCDLII:o, IX die menfis Martij. Hic domum lapideam Epifcopalem, & aliam pro refidentia Præbendati Corporis Chrifti conftitui fecit. - Hic Horas de Sancta Cruce per fuam dioceſim legi mandavit, Archidiaconatum per ſuum Capitulum melioravit annullatum (g), & quaſi de novo fundavit. Hic 4 Chorales in ſummo Choro de novo inſtituit, Hic Fraternalitatem Trium Regum & Clericorum (h) inſtituit. Hic cultum Dei in eccleſia Aboenſi magnifice amplia-

---

(e) Hanc vocem legere neſciens Palmköldius, lacunam in ſuo reliquit Apographo.

(f) Hæc tria vocabula in Apographo Palmköldiano per imprudentiam prætermiſſa ſunt.

(g) Ita fere legendam putes vocem? cujus ductus obſcuro neque Palmköldius aſſequi valuit. De re ipſa cf. literæ Magni Epifcopi ſupra allatæ, p. 457, not. 403, quæ noſtram lectionem illæ etiam confirmant.

(h) Palmköldius legit *Electorum*, ſenſu nullo. Fatemur tamen *Fraternalitatem Clericorum* eſſe illam etiam nobis prorfus ignotam. Forte in illa voce aliquid vitii ineſt? aut vox ante illam Clericorum excidit?

pliavit. Sepulchrum Domini & Terram Sanctam non absque magnis storgis (i) adiit. Multa clendia pretiosa pro ecclesia acquisivit. Hujus tempore Rex Ericus e regno excluditur. Hic re & nomine Magnus, in consilio acutus, vitam castissimam & multum solitariam duxit. Ejus mortem tota deslet Finlandia (k), qui anno ætatis suæ nonagesimo 5:to apud Vallem Gratiae in bona senectute extinctus est.

*Oloff.*

Magni nepos Prædecessoris sui, Vir doctus, X annis rexit, & multa bona fecit. Hic Rector Parisiensis Universitatis fuerat, & Lector Ethicorum. Obiit Abo anno MCDLX, die S:ti Matthiæ Apostoli, & in Choro Corporis Christi sub lapide æneo ad sinistrum latus D:ni Magni sepelitur.

*Koort Bijdz (l).*

Ex patre famoso Milite D:no Henrico Bijdz,  
B 2 quon-

i) Hoc est, ut puto, sollicitudine atque oriundo ex periculis angore & ægrimonia?

k) Videntur hæc verba significare, non longe post mortem Magni hæc esse scripta? Credas sensim indicem hunc Episcoporum contextum adauctumque fuisse?

(l) In M:to absurde legitur *Kijtz*, quod vitiosum esse, vel nomen patris sui mox proditum (*Bijdz*) ostendit.

quondam Capitaneo Aboensi, Magister Lipsiensis (m), Præpositus Aboensis, per viam scrutinii concorditer electus, denis (Senis) apud Minores (n), sub Papa Pio 2:do consecratur. Hic Conventum Vallis Gratiae consummavit, religiosos sub perpetua clausura includendo. Sub eo Capella Omnium Sanctorum in ecclesia Aboensi de novo erigitur, & ipse memoratam Capellam & undecim altaria in ipsa ecclesia uno & eodem die dedicavit, ita quod ante illum diem altare Corporis Christi per totam diocesim unicum & solum consecratum habebatur. Hic Horas gloriosissimæ Virginis Mariæ in prædicta Capella perpetuis temporibus decantandas instituit, & pro earundem sustentatione ecclesiam Parochialem Nummis, cum singulis redditibus & obventionibus Episcopalibus & Curati (o), memoratæ Capellæ imperpetuum incorporavit. Infirmaria Clericorum (p) per eum fundatur.

(m) Mf habet *Magistro Lipsensi*; forte legendum e *Magistro Lipsiensi*?

(n) De toto hoc loco, lectu perdifficili, cfr. quæ supra attulimus p. 548 sq.

(o) Ipsa itaque ecclesia postea per Vicarios Perpetuos sine dubio administrabatur. Cf. etiam supra p. 551.

(p) Cf. supra p. 576. In *Statutis Provincialibus Jacobi Ulphonis* Archiep. Upsalientis a. 1474 factis (vid. NETTELBLADT *Schwed. Biblioth.* II St. p. 179 sqq.) in Pun-



datur. Hic duos de novo instituit in summo choro  
 Chorales. Sub eo etiam totum cimiterium ecclesiae  
 Cathedralis instauratur, & quamplurimae ecclesiae la-  
 pideae per totam diocesim eriguntur. Hic etiam  
 ob divini cultus augmentum & animarum periculum  
 evitandum (q) quamplurimos de novo instituit ec-  
 clesiarum Curatos (r). Hujus tempore castrum O-  
 luffsborg in Jokas propter Ruthenorum furorem e-  
 rigitur, & oppidum Wiburgense - - - (s).

cto XXIV sciscitur, *Infirmariam fieri debere apud quam-  
 libet Ecclesiam Cathedralem.* Quibus nostrum paruisse,  
 verisimile est. Palmköldius male legerat *Informaria.*

(q) Pro his verbis (*periculum evitandum*) lectu difficiliori-  
 bus, Apographum Palmköldianum mire habet: *per A-  
 böensem civitatem.*

(r) Palmköldius habet: *ecclesias* - - - ultimum nem-  
 pe verbum lectu difficilium est.

(s) Quae sequebantur verba (muro cingitur) una cum reli-  
 qua Episcopi (nec non successorum suorum) vita, fata no-  
 bis inviderunt.

*Papæ Alexandri III Literæ de plene Subjugandis  
Fennis (a).*

*Alexander* Papa III Stephano Upsalensi Archiepi-  
scopo & Suffraganeis ejus, & Guthormo Du-  
ci

---

(a) Nostros spectari *Fennos*, sive Finlandiæ nostræ incolas, verisimile est; licet olim, præeuntibus Norwegis & Islandis, illa appellatio proprie ad gentem quam Lapporum hodie nomine significamus, restricta fuerit. Expediitio R. Erii S. in Finlandiam, & piratica Fennorum, maxime eorum qui Sinum Fennicum accolebant, hanc gentem Svecis notiozem fecerant. — Hæc Bulla Papalis antiquissima est in qua mentionem fieri Fennorum (vel Finnorum) nostrorum reperimus. Nisi erronea esset doctorum virorum opinio, qui *Fulconem*, *Estonum* Episcopum, nostris rebus immiscent, Bullæ atque Epistolæ quarum recensum exhibet Nobil. A CELSE (*Apparat. ad Historiam Sveo-Gothicam*) Sect. I, p. 36, N:o 3, 4, 5, 6, essent illæ quoque a nobis hoc loco afferendæ. Sed licet jam nobis illas prætermittere. Vid. *Annott. ad Chronicon Zuusten.* p. 166 sq. Neque certum est, (quamvis inter Hitones & Fennos Sinus Fennici accolæ societatem intercessisse, communique opera eos littora Svecica Danicæ nonnunquam infestasse, probabile sit) Ejusdem Papæ literas, quibus Estonum barbariem accusans, ad eos debellandos Christianos Septentrionis populos excitat, nostræ quoque oræ incolas respicere. Quare nec illas repetimus. Cfr. VASTOVIUS l. c. p. 155, A CELSE l. c. p. 35, N:o 1,

ei (b). Gravis admodum & difficilis est ad Apostolicam sedem querela perlata, quod Finni semper, imminente sibi exercitu inimicorum (c), fidem servare Christianam promittunt, prædicatores & eruditores Christianæ legis desideranter requirunt, & recedente exercitu fidem abnegant, prædicatores contemnunt & graviter persequuntur. Unde, quoniam in hoc Deo illudere & Christianam religionem deridere videntur, & illis se duplos filios gehennæ constituentibus, salus & vita eorum tota in terrenis, neglectis cælestibus, conspicitur consistere, nec est dignum, ut eis in adversitate (c) Christianum nomen defensionem conferat, quod in prosperitate despiciere & horrere probantur:

---

nec non ÖRNHJELM (*Hist. Sueonum Gotborumque Eccles.*)  
p. 493 sq.

(b) Inscriptionem, ut & proxime sequentis Bullæ, ex *Vassio* (quamquam nec hac ex parte certissimo semper auctore) mutuati sumus; quæ paullo aliter, nescio unde, instruxit *Örnhjelm*.

(c) Commemorabile est, Papam agnoscere, armatos hosce Apostolos inimicos fuisse Finnorum, adversitatem his inferentes; simul autem gravi iisdem vitio vertere, quod benefactorum loco hostes illos habere, atque obtrusam sibi vi ferroque religionem venerabundi gratique colere ac maximi facere, non pergerent. Quam absurde! — Plures autem, præter illam S. Erici, a Svecis susceptas contra eos fuisse expeditiones, hinc colligas. Nihil a re-

bantur: universitatem vestram monemus, atque mandamus, quatenus a fallaciis & fraudibus eorum ita prudentes & discrete de cætero (d) caveatis, quod si ingruerit necessitas, ad auxilium & defensionem vestram (e) non possint recurrere, nisi munitiones, si quas habent, vobis tenendas assignent, aut alias adeo sufficientem cautionem exhibeant & securitatem, quod amodo nullatenus pedem retrahere aut vestram prudentiam valeant circumvenire, sed Christianæ fidei documenta cogantur tenere firmiter & servare, ne amplius de eorum numero videantur, de quibus dictum est: Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Datum Tusculi VI: die Septembris (9 Sept.) (f).

Legitur apud JOH. VASTOVIVM, *Vitis Aquilon.* (Edit. Colon.) *Append.* p. 161; unde exscripsisse videtur ÖRNHJELM (*Hist. Sueonum Gothorumque Ecclesiast.*) p. 491. Cfr. A CELSE *Apparat. ad Historiam Sueo-Goth. Sæc. I.* p. 41, N:o 16; & quæ supra disputavimus *Annott. ad JUUSTENI Chron. Episc. Finl.* p. 55.

---

ista in his terris colonia Svecica continuatum contra veteres incolas bellum fuisse, quod hoc loco respiciatur, indigitari putes?

(d) Hoc est, *in posterum.*

(e) H. e. *ad clementiam?* Cæterum consilium Papæ politicum non minus videtur fuisse superfluum, quam hermeneutica sua ratio absfona.

(f) Annum Pontificatus in exemplo Vastovii defuisse, apparet, Sedit autem Alexander inter annos Christi 1159 & 1185.